

B X23 SO
B6

PRINCIPIA ET DOCUMENTA



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRINCIPIA ET DOCUMENTA

VITÆ CHRISTIANÆ,

AUCTORE

D. JOANNE BONA,

ROMANE ECCLESIE TIT. S. BERNARDI AD THERMAS PRESBYTERO
CARDINALI ORDINIS CISTERCIENSIS.

069391

ELECTIS DEI

PER UNIVERSUM ORBEM DISPERSIS

JOANNES

Miseratione Divina, Tit. S. Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter

CARDINALIS BONA

Gratiam et Pacem quæ superat omnem sensum.

Hunc Libellum Vobis offero, quā par est veneratione, felices animæ, vasa honoris et misericordiæ, genus electum, gens sancta, filii Dei destinati ad gloriam ante mundi constitutionem, qui pretiosos sanguine Christi redempti, et à servitute peccati dono gratiæ ipsius liberati, ignominiam crucis non erubescitis. Vobis enim datum est nosse mysteria regni cœlorum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati estis. Vos elegit Pater celestis in partem sortis Sanctorum, ut essetis sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate, in quo prædestinati estis, non secundūm opera vestra, sed secundūm propositum voluntatis ejus. Pro Vobis Dei Filius oravit, cùm transiturus de hoc mundo ad Patrem dixit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi,*

quia tui sunt. Pro mundo autem non oravit, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre. Ideo non audiunt verba vitæ qui de mundo sunt; et si audiunt non intelligent, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Et Christus quidem lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed mundus eum non cognovit, nec videt eum, nec scit eum, nec spiritum veritatis potest accipere. Hoc est autem judicium, et causa damnationis reproborum, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum opera mala, et omnis qui male agit, odit lucem. Quod si in vita et prædicatione suâ Christus lux fuit, præcipue tamen universo mundo in cruce resplenduit; lignum enim illud in quo erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit docentis. Audiamus ergo quid nos doceat. Id nimirum docet moriens, quod docuerat vivens: *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Crucem igitur amplecti, et Christi sequi vestigia salus nostra est: in cruce plenitudo meritorum reperitur: et hæc Christianorum sublimior Philosophia, scire Christum, et hunc crucifixum. Atque utinam haec Principia et documenta Vitæ Christianæ legentibus, aperiat Deus cor ad intelligendum, dispellens tenebras ignorantiae, et sanans animæ languores, ut erepti de potestate tenebrarum ad agnitionem veritatis perducantur. Hujus rei gratia Deum oro, ut det illis virtute corroborari per spiritum ejus in in-

teriorem hominem, ut Charitas in eis magis ac magis abundet, ut sint sinceri, et sine offensa, repleti fructu justitiae, Deo per omnia placentes sine querela, et sine reprehensione. Hoc votum meum pro illis est: pro me autem Deum precor, ut mentem meam luminis sui claritate perfundat, et meam imbecillitatem brachii sui potentiam confirmet, nè, qui alius prædicto, moribus doctrinæ repugnantibus, reprobus efficiar. Vos etiam rogo, amici Dei et oves pascuae ejus, memores mei estote in orationibus vestris, ut quod hæc paginæ docent, operibus comprobem, meisque legibus obtemperem, eo vires largiente qui dixit: *Sine me nihil potestis facere:* qui cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus, gloriosus et superexaltatus in sæcula. Amen.

